

ad sex menses est de substantia incorrigibilitatis, sicuti erat continua carceratio ad annum ante decreta edita jussu Innocent. XII, ut patet ex dicta declaratione Sac. Congregat. Concil. ad dubia, etc., ubi ad primum dubium conceptum his verbis: «Primo, an Regularis constitutus in carceribus spatio unius anni in jejuniis, et pœnitentia, ad finem, ut tamquam incorrigibilis a Religione ejiciatur, si e carceribus fugiat (dicto carcerationis anno nondum expleto), et inde sit captus, possit tunc, ut incorrigibilis ejici, an vero, quid aliud faciendum sit?» sic præcise respondit: Ad primum respondit: *Regulares derelinquentes uti incorrigibiles a Religione ejici non posse, anno carcerationis nondum expleto.* (11. Unde in tali casu optimum expediens est petere dispensationem a Sac. Cong. Concil. quæ ex tali fuga cognoscens evidenter ejus incorrigibilitatem, dispensare poterit, prout in facti contingentia alias dispensavit, ut referunt Donatus *Prax. Regul.* tom. 1, part. 1, tract. 8, de *Ejectis* quæst. 11, n. 9. Pirr. Corrad. *Prax. dispens. Apostol.* lib. 5, cap. 14, num. 31. Ameno *Practic. crim.* tit. 5, § 6, n. 40. (12. Carceratio non debet esse ad solam custodiam, sed debet esse qualificata arctatione, et pœnitentia in carcere formali, seris et vectibus munito, sine caputio et chorda, seu hujusmodi, et in pane, et aqua simul cum flagellatione in publico Refectorio saltem aliquibus hebdomadæ diebus, vel saltem qualibet feria sexta, ut colligitur ex cit. decret. jussu Urbani VIII, edit. § 4, ibi: «Verum etiam unius anni (*modo sex mensium ex moderatoria sub Innocent. XII*) spatio in jejuniis et pœnitentia probetur in carceribus,» et tenent Bord. tom. 4, p. 3, res. 109, n. 44. Ameno *de incorrigibilium Expulsione* p. 1, quæst. 13, n. 115. Matthæucc. *Official. Cur.* cap. 25, num. 17 et 18, et alii. (13. Incorrigibilitas est in eodem, qui vere dicitur incorrigibilis, si ter convictus et punitus de tribus gravibus et atrocibus criminibus, et probatus per sex menses in carceribus in jejuniis, et pœnitentia, non fuit emendatus, sed animo indurato adhuc perseverat in sua pertinacia, ut colligitur ex cap. *Cum non ab homine 10, de Judiciis*, cap. *Cum ad Monasterium 6*, et cap. *Ea quæ 8, de Statu Monachor.* cap. *Ut famæ 35*, et cap. *Contingit 45, de Sentent. excommunic.* et ex cit. decret. jussu Urbani VIII, edit. § 4, et tenent Pasqualig. *ad Lauret. de Franchis* p. 1, num. 1058. Matthæucc. loc. cit. num. 13. Portell. in dub. *Regul. verb. Ejicere*, num. 1, vers. *Secundo nota*, ubi sic subjungit: «Unde colligo non sufficere, quod Religiosus committat tria crimina atrocia ex una quasi vice morali, unum post aliud, vel simul, ut dicatur incorrigibilis, si non sit ter punitus cum distinctis intervallis, et distinctis punctionibus, sed opus est, ut per intervalla fiant crimina, et cuilibet adhibeatur punitio, et Monachus non respiscat, alias non diceretur incorrigibilis, quia pertinacia proprie consistit in resistantia per distinctas objurgationes, non vero satis col-

ligitur ex una solum resistantia, et ipsum nomen incorrigibilis proprie non denotat continuationem ad crimina sed respectum ad correctionem vel punctionem ter contemptam.»

(14. Ad probandam incorrigibilitatem pro expulsionem non potest carcerari, nisi qui post tertium delictum, et tertiam punctionem, iterum delinquit; Passerin. *de hominum Stat.* qu. 189. Bordon. tom. 4, part. 3, resol. 108. Pellizar. tract. 9, cap. 4, n. 232. Barbosa in cap. *Cum non ab homine 10, de Judic.* num. 10. Sanctorus *de Pœn.* cap. 19, q. 2, contra Amenum *de incorrigibilium Expulsione* p. 1, quæst. 11, per tot. Et ratio est, quia, ut recte dicunt citati Doctores, carceratio sive *annualis* ex decretis jussu Urbani VIII, editis, sive *semestris* ex moderatoria sub Innoc. XII, statuta ad experimentum incorrigibilitatis, fuit inducta ad effectum removendi incorrigibilem a sua pertinacia et obstinatione in peccatis; sed tertio punitus, et (ut supponitur) emendatus, non habet a quo per carcerationem removeatur: ergo ad hoc ut habeatur fundamentum talis carcerationis non potest carcerari, nisi postquam compleverit pœnitentiam de tertio delicto, adhuc quarto delinquit; aliter talis carceratio esset injusta, cum jam pro tribus patratibus delictis, trinam sibi impositam pœnitentiam compleverit, et jura improbant binam punctionem in idem crimen. (15. Nec valet quod dicit Amenus loco citat. numer. 106. nempe quod data nostra sententia, oporteret, quod ante expulsionem quinquies deliquisset expellendus, nempe ter ante carcerationem; semel pro carceratione ineunda, et illa peracta, iterum pro effectu expulsionis; quod secundum ipsum inauditum est, nec apud ullum auctorem invenitur necessaria patratio quinque criminum successivorum. Non valet, inquam, quia licet hoc non explicite, dixerunt tamen implicite citati pro nostra sententia Doctores. Et hoc est maxime consentaneum citat. Decretis sub Urbano VIII, editis, ubi § 4, sic expresse habetur: «Cæterum Sac. Congr. Religionum Superiores serio admonet, ac per Jesu Christi viscera obtestatur, ut nemores paternæ Charitatis et mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquunt, ut lucentur animas Fratrum suorum, fere in profundum malorum delapsas, antequam gravissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur.» Et consonat textus in cap. *Contingit 45, de Sentent. excommunic.*, ubi sic expresse statuitur: «Mandamus ut tales, si tertio a te commoniti, seipsos contempserint emendare, illius afficiantur immunitatis extorres; quæ pro Clericorum tutela, et laicorum violentia coercenda dignoscitur instituta;» ubi nota illa verba: «Si tertio a te commoniti, seipsos contempserint emendare,» per quæ evidenter demonstratur non posse deveniri ad ulteriorem pœnam, nisi trinæ monitioni, seu punctioni superveniat contemptus, seu relapsus; et quamvis ibi, ut alias recte observat Amenus l. c. n. 104, sit sermo de sententia definitiva, et non de interlocutoria, ut in

nostro casu; tamen adhuc facit pro nobis per rationem adductam sub num. 14, et ne alias innocens injuste vexetur, cum punitus, et emendatus pro innocente habeatur. Quam ob rem statuta Salmaticensia in Ordine Minorum cap. 7, vers. *Quicumque Frater Ord. Seraphic.* tom. 3, fol. 32, col. 1, redarguunt, et puniunt veluti infamatores et calumniatores objicientes alicui delictum, de quo punitus et emendatus fuit.

(16. Incorrigibilis, completo carceris tempore, non est statim expellendus, sed adhuc post carcerem probatorium debet durare, et apparere incorrigibilis pro expulsionem; sic colligitur ex verbis cit. deer. edit. sub Urbano VIII, § 4, ibi: «Elapso autem anno (nunc sex mensibus ex dict. moderatoria sub Innocent. XII, § 2.) si nihilominus non respicerit, sed animo indurato in sua perversitate perseveraverit... ejici tandem possit;» Passerin. *de Homin. Stat.* tom. 3, q. 189, n. 8, art. 583. Ameno loc. c. qu. 14, n. 1. Donat. l. c. q. 19. Pasqualig. l. c. num. 1070. (17. Quod autem adhuc duret incorrigibilitas post carcerem probatorium, duobus modis cognosci potest, signis scilicet, vel factis. Signis cognoscitur, si reus minime se humiliatum ostendat, ac de præteritis delictis non pœnitens, immo potius perversax et obduratus appareat, in blasphemias, imprecationes et minas erumpendo ob talem incarcerationem, dicendo se velle de suis æmulis ulcisci, et hujusmodi. Factis autem cognoscitur, si se simulans emendatum, eductus de carcere, redit ad pristinum vomitum alia facinora perpetrando. Unde si post carcerem probatorium uno ex his duobus modis appareat adhuc durare incorrigibilitatem, ea redacta ad formam judicii per claras probationes, potest tunc, servatis aliis servandis, expelli; sic cit. Doctores. (18. Non adest tamen obligatio ipsum expellendi, quamvis incorrigibilis in expressa sua obligatione persistat, sed facultativum est Superiori, seu Judici, vel in carcere eum adhuc detinere, vel ad expulsionem procedere, ut apparet ex cit. decretis jussu Urbani VIII, editis, ibi: «Ejici tandem possit,» quibus verbis denotatur facultas, non autem obligatio ejiciendi; Sanctorus *de Pœnit.* quæst. 3, cap. 19, fol. 155. Matthæucc. loc. cit. num. 22. Ameno loc. cit. n. 122.

(19. Facultas expellendi incorrigibiles in Decretis jussu Urbani VIII, editis § 4, erat restricta ad Generalem tantum cum consilio, et assensu sex Patrum ex gravioribus Religionis, ibi: «Ab ipsomet Generali tantum de consilio, et assensu sex Patrum ex gravioribus eligendis in singulis Capitulis, vel Congr. Generalibus.» (20. In decretis autem editis jussu Innoc. XII, § 3, extenditur ad Provinciales, accedente approbatione Generalis, ibi: «Quod facultas Generalibus Ordinum de consilio, et assensu sex ex gravioribus Religiosis in singulis Capitulis, et Congregationibus Generalibus ad causas ejiciendorum eligendis attributa, extendatur etiam ad quoscumque Provinciales, qui electis pariter in Congregationibus Provincialibus sex gravioribus e propria Provincia

Religiosis a Generali confirmandis, de illorum consilio, et assensu causas hujusmodi cognoscant, et ad effectum ejiciendi incorrigibiles suæ Provinciæ, et ejectionem pronuntiandi, accedente approbatione Generalis, definiant. Salva semper Sanctæ Sedis, et Sacræ Congregationis Concilii in causa recursus, et appellationis auctoritate.» (21. Non potest tamen nec a Generali, nec a Provinciali, hæc potestas expellendi alteri delegari, ut habetur ex responsione Sacræ Congregat. Concil. data die 21. Junii 1653, antequam fuisset extensa ad Provinciales per d. Decreta sub Innoc. XII, edita 24. Julii 1694. Interrogata enim tunc per varia proposita dubia a Procuratore Generali Ordinis S. Mariæ de Mercede, ad tertium dubium propositum sub his verbis: «Tertio: An Generalis Ordinis possit delegare facultatem ejiciendi a Religione Provincialibus pro eorum Provinciis, seu Commissariis, vel Vicariis Generalibus; et an delegatio sit a Generali facienda in quolibet casu, an vero indefinite in omnibus casibus?» Respondit: *Generalem Ordinis non posse delegare facultatem ejiciendi a Religione Provincialibus pro eorum Provinciis, seu Commissariis, vel Vicariis Generalibus.*

(22. Electio sex graviorum Patrum a dictis Decretis statuta, licet per prima edita sub Urbano debuisset fieri in singulis Capitulis, vel Congreg. Generalibus, ut patet ex § 4, ibi: «De consilio et assensu sex Patrum ex gravioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus;» per secunda tamen decreta edita sub Innocentio potest fieri in Capitulo, vel Congregat. Provinciali, et debet per Generalem confirmari, ut patet ex § 3, ibi: «Electis pariter in Congregat. Provincialibus sex gravioribus e Provincia Religiosis, a Generali confirmandis.» (23. Talis electio non est necesse quod fiat per vota totius Capituli, sed sufficit quod fiat per vota totius Diffinitorii Generalis pro toto Ordine, et per vota totius Diffinitorii Provincialis pro Provincia; sic colligitur ex verbis ipsorummet Decretorum, quæ tribuunt facultatem eligendi illos sex Patres in Capitulis, ac in Congregat. Generalibus, ut patet in primis editis sub Urbano a § 4, ibi: «Eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus Generalibus;» et in secundis editis sub Innocentio d. § 3, ibi: «Electis pariter in Congregationibus Provincialibus;» atqui ad Congregationes sive Generales, sive Provinciales soli respective Diffinitores accedunt, ergo, etc. Sic Ameno *de incorrigibilium Expulsione* part. 1, ubi in Summario decret. edit. sub Innocent. XII, sub num. 33, sic habet: «Talis electio fieri debet in Capitulo, vel Congr. et per Generalem confirmari,» et ibid. quæst. 16, n. 136, in fine sic concludit: «Ergo cum solum Diffinitorium corpus Congreg. Capitularis constituat, ipsi incumbit annuatim hos sex Patres eligere, quorum approbatio (ut habet citatum Decretum) a Generali est attendenda.»

(24. Si nec a Religione, et nec a Provincia

hujusmodi sex Patres fuerint electi in Capitulo, seu Congregatione, debet haberi recursus ad Sacram Congregationem Concilii in singulis casibus, ut habetur ex responsione ejusdem Sacrae Congregationis ad dubia ei proposita a d. Procuratore Generali Ordinis S. M. de Mercede, inter quae cum quintum esset conceptum his verbis: « Quinto: Quod si a Religione hujusmodi sex Patres non fuerint electi in Capitulo, seu Congregatione Generali, quid faciendum sit usque ad primum Capitulum Generale? Ad quintum respondit, recurrendum ad Sacram Congregationem in singulis casibus. » (25. Si tamen fuerint electi a Religione in Capitulo, vel Congregatione Generali pro toto Ordine, et non fuerint electi in aliqua Provincia, poterit ipsa Provincia uti electis pro toto Ordine; sicuti fiebat ante decretum ab Innoc. PP. XII. editum extensivum hujusmodi facultatis ad Provinciales. (26. Et sic si aliquis ex electis in Provincia decedat, poterit suppleri defectus substituendo aliquem ex eis qui fuerint pro toto Ordine electi, cum possit eorum votum etiam per Epistolas mitti, et haberi, ut patet ex responsione Sacrae Congregationis ad sextum dubium d. Procuratoris Generalis S. M. de Mercede, ibi: « Sexto: An sufficiat ut Praelatus Conventualis, seu Provincialis conficiat processum stylo Religionis servato, et illius summarium transmittat Generali Ordinis, seu illius Delegato, qui adhibitis sex Patribus, quilibet eorum videat eundem processum, et transmittat votum suum per litteras eidem Generali, seu Delegato? » Ad sextum respondit: « Processus esse conficiendos juxta styllum, et consuetudines Religionis, et illorum transumptum authenticum esse transmittendum ad singulos ex sex Patribus electis, qui per litteras possunt votum dare. » Ameno loc. cit. q. 16. num. 139. (27. Sex Patres graviores eligendi, debent intelligi graviores gravitate virtutis, scilicet peritiores in Sacris Canonibus, rebus Criminalibus, et statutis Religionis; non autem graviores gravitate molis, aut praecise gravitate aetatis, vel graduationis. Unde Provinciales, Custodes et Diffinitores, alique graduati, qua praecise tales, non censentur ex gravioribus Patribus intentis, et volitis a citatis Decretis, cum non semel isti Sacros Canones, res Criminales, et statutarias leges nesciant cum non didicerint, ut docet experientia, et recte observant Ameno loc. cit. 16. num. 137. Matthæuc. loc. cit. num. 24. et alii passim.

(28. Pro ferenda sententia Diffinitiva super expulsionem incorrigibilis non requiritur, quod singula sex Patrum vota concordent, sed sufficit ut major pars consentiat; sic habetur expresse ex responsione Sacrae Congregationis Concilii ad dubium septimum ex propositis a d. Procuratore Generali Ordinis S. M. de Mercede, ibi: « Septimo: An Generalis, seu delegatus possit ferre sententiam ejectionis a Religione, quando a tribus ex sex Patribus electis, seu ab illorum majori parte dicta sententia approbetur: An potius sit necessarium ut om-

nes sex dent votum, ita ut ex defectu voti etiam unius, non possit sententia valide ferri? » Ad septimum respondit: *Sententiam ejectionis a Religione fieri debere, saltem de voto majoris partis sex Patrum electorum.* (29. Unde ex hoc decreto aperte sequitur, quod si vota sint paria, tria nempe stent pro expulsionem, et tria dissentiant, tunc non potest definitive procedi ad ejectionem, quia, ut expresse dicit Decretum, sententia ejectionis debet ferri *saltem de voto majoris partis sex Patrum electorum*; et quando requiritur consensus majoris partis Collegii ad hoc quod Superior possit aliquid facere, non sufficit aequalitas votorum Collegii, ut recte docet Glossa communiter recepta in cap. *Si ab Episcopo*, § *Cum vero* in verb. *Assensu*; ne *sede vacante* in 6. (30. Nec in casu paritatis votorum potest Generalis, vel Provincialis votum decisivum praebere sub praetextu concessionis factae talibus Superioribus Ordinis Minorum de Observantia ab Urbano VIII. 10. Novembr. 1642. Constitut. incipient. Religiosos viros, et a Sacra Congreg. Episcoporum. et Regular. 13. Mart. 1653. Decreto incipient. Sacra Congregatio. Quia tales concessiones loquuntur expresse de electionibus faciendis a Vocalibus, aliisque negotiis decidendis per Definitoria Provincialia, cujus generis non est illud ejectionis incorrigibilium, super quos Vocales, et Definitores, qua tales, votum non habent, cum ex citatis decretis sub Urbano VIII. et Innocentio XII editis sint pro hoc specialiter eligendi sex ex gravioribus Patribus.

(31. Sententia Definitiva expulsionis incorrigibilium non potest fieri nisi prius instructo secundum cujusque Religionis styllum, et Constitutiones processu, et plene probatis causis expulsionis ad Sacrorum Canonum praescriptum; cit. decret. edit. sub Urbano VIII. § 4. ibi: « Tumque non nisi instructo secundum eorum styllum, et Constitutiones processu, et plene probatis causis expulsionis ad Sacrorum Canonum praescriptum. » (32. Constructo et absoluto processu, est actorum copia exhibendo Reo, eique assignandus benevix Advocatus cum congruis terminis ad defensionem necessariis. Completis exinde ab assignato Advocato defensionibus, eisque praesentatis Patribus electis, et ab ipsis una cum causis expulsionis ad unguem libratim, et suo voto in scriptis tradito, debet Provincialis vota sex Patrum cum Summario processu, et defensionum notitia cum responsione ad ipsos facta ab Advocato Fisci Religionis transmittere ad Generalem, a quo habita approbatione, si reum expellendum judicaverit, poterit ad definitivam sententiam expulsionis procedere; ita habetur ex § 3. decret. edit. sub Innocentio XII. ibi: « De illorum consilio, et assensu causas hujusmodi cognoscant, et ad effectum ejiciendi incorrigibiles suae Provinciae, et ejectionem pronuntiandi, accedente approbatione Generalis, definiant. »

(33. Lata sententia debet intimari Reo, qui si intra debitum tempus ad S. Sedem et Sacram Congregationem Concilii appellaverit,

ad eam devolvitur causa, ipso interim in carceribus persistente. Quod enim ipse possit sic appellare, habetur expresse ex cit. § 3. decret. edit. sub Innocentio XII. ibi: « Salva semper Sanctae Sedis, et Sacrae Congregationis Concilii in causa recursus et appellationis auctoritate. » (34. Tempus ad appellandum concessum, sunt decem dies a die latae, et intimatae sententiae, seu scientiae numerandi, ut expresse habetur in *Authent. hodie*, juncta Glossa ibid. *Cod. de Appellat.* et cap. *Anteriorum* 28. caus. 2. quaest. 6. ubi sic expresse statuitur: « Sancimus omnes appellationes, sive per se, sive per Procuratores, per defensores, vel Curatores, et Tutores ventilentur, posse intra decem dierum spatium a recitatione sententiae numerandum Judicibus ab his, quorum interest, offerri. » Et expresse etiam habetur in cap. *Quod ad consultationem* 15. de *Sentent. et re judicat.* ibi: « Cum post decem dierum spatium sententia in auctoritatem rei transeat judicatae, qui ad provocationis subsidium infra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit. » Et etiam textu expresso habetur in cap. *Carcerationi* 8. de *Appellat.* in 6. ibi: « Quisquis ex eis gravatum se reputans per appellationis beneficium gravamen illatum desideraverit revocari, infra decem dies, postquam sciverit, si velit, appellet. Post decennium vero eidem aditus non pateat appellandi. » (35. Si vero non appellaverit, debet transactis ipsis decem diebus ab intimata sententia e carcere educi, et coram tota Religiosorum communitate corona Clericali, et Regulari privari, et per Superiorem forma habitus Regularis exui, et confusibiliter ejici in habitu Clericali sub jurisdictione et obedientia Ordinarii loci victurus, ut praescribitur in cit. § 4. decret. edit. sub Urbano VIII. ibi: « Sic vero ejecti, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu Clericali incedant, atque Ordinarii loci jurisdictioni, et obedientiae subsint. »

(36. Sententia expulsionis est statim significanda ab Ordinario loci, cit. § 4. ibi: « Proindeque Generalis (seu Provincialis, si ipse in vim decreti sub Innocentio XII sententiam pronuntiaverit) illico expulsionis sententiam eidem ordinario notificare teneatur. » Formula autem, secundum quam est significanda, datur per extensum a Perino formul. *Praelat. lit. E. cap. 39* ab Ameno c. p. 2. n. 97. a Matth. l. c. n. 30. fere ut sequitur. *F. N. Provincialis Provinciae N. Ord. S. N. Ill. ac Reverend. D. Episc. N. salutem in Domino.*

(37. « Illustrissimae et Reverendissimae

(1) Quamvis non prohibeatur ejecto ab ejectionis sententia appellare infra terminum a lege praefinitum, sua tamen extra carceres nequit jura experiri; sed si eadem proponere velit, omnino debet se in carceribus constituere, et interea Episcopus in cujus Diocesi versatur de hoc unice sollicitus esse debet, ut illum studiose observet et custodiat, quod cum antea non fuisset definitum Benedic. XIV. de *Synod. Diocesan.* lib. 13, cap. 11, in fin. ideo super his sequens prodiit *resolutio a Sac. Congreg. Conc.* excerpta ex lib. 98. *Decretorum* pag. 524.

Dominationi vestrae notum sit, quatenus nos ad Canonum, et Apostolicarum Constitutionum formam, ac Decretorum Sacrae Congregationis Concilii de Apostatis et Ejectis sub die 21. Septembr. 1624. et die 24. Julii 1694. respective emanatorum, procedentes per nostram definitivam sententiam, quam in scriptis tulimus, hoc anno 1737. die 6. Februarii a nostra Religione tamquam incorrigibilem P. F. N. Religionis praefatae expresse professum, et ad Sacrum Presbyteratus Ordinem promotum (si fuerit Sacerdos; et si fuerit Clericus exprimaturo Ordo; si vero Laicus, id notetur) dimisimus, et ejecimus, habitu religionis nudatum. Quod Illustrissimae et Reverendissimae Dominationi vestrae (de cujus Diocesi ipse est) significandum esse censuimus, ut et nos Apostolicis obtemperemus mandatis, et peccoris sui vultum possit Dominatio Vestra cognoscere, eaque etiam circa praefatum N. exequi valeat, quae in praefato decreto anni 1624. die 21. Septembr. peragenda jussit dicta Sacra Congregatio Concilii; Et Dominus sit Illustrissimae et Reverendissimae Dominationi vestrae propitius. In quorum fidem praesentes litteras jussu nostro conscriptas, sigilloque munitas dedimus ex Conventu N. Anno..... Mense..... Die....

« F. N. Provincialis. »

(38. Ordinarius nequit sententiam expulsionis examinare, et inquirere an Regularis sit juste, vel injuste ejectus. Ameno loc. cit. p. 3. qu. 1. n. 4. Pasqual. ad *Lauret. de Franchis* p. 1. num. 974. Donat. *Prax. Regul. tom. 1. tr. 8. de Ejectis* qu. 55. n. 3. Matthæuc. loc. cit. n. 32. et alii. Et colligitur ex cit. § 4. decret. Sacrae Congreg. Concil. sub Urbano VIII. edit. ubi Regulares ad nihil aliud tenentur, nisi Episcopo loci expulsionis sententiam notificare. Tum quia cognoscere causam ab alio Judice acititam est actus jurisdictionis, quae non potest ab Ordinario exerceri in Regulares, qui sunt ab ipso exempti, cap. *Nimis iniqua* 16, etc. *Nimis prava* 17. de *Excessibus Praelator. c. Ne aliqui* 5. de *Privileg.* Nec in hoc casu Ordinarius se habet ut Judex appellationis, cum in causis expulsionis sit facienda appellatio ad S. Sedem, et Sacram Congregationem Concilii, ut colligitur ex cit. § 3. decret. Sac. Congr. Concil. sub Innocentio XII. edit. ibi: « Salva semper Sanctae Sedis, et Sacrae Congregationis Concilii in causa recursus et appellationis auctoritate (1). »

(39. Si Ejectus petat a Superiore litteras testimoniales expulsionis, poterint ei concedi sub hac formula tradita ab Ameno loco cit. p.

Lycien. Ejectionis a Religione.

« Pater. N. N. ob plura crimina per eum, ut praetenditur in Religione patrata, et de quibus licet pluries punitus adhuc non resipuerat, fuit de mense Septembris superioris anni per sententiam P. Generalis incorrigibilis declaratus, et uti talis a Religione ejectus. Appellavit orator ab hujusmodi sententia ad hanc Sacram Congregationem sub praetextu notoriae nullitatis, et injustitiae praesertim ob non servatam formam decretorum ejusdem Sacrae Con-

2. n. 99. et Matthæus, l. c. n. 31. et ab aliis passim.

F. N. Provincialis Provinciæ N. Ordinis S. N. omnibus præsentibus litteris inspecturis, pariter ac lecturis pacem veram, et salutem in Domino.

Noveritis qualiter justis de causis animum nostrum moventibus, considerantes causam, et causas, de quibus in processu per nos anno Domini 1737. a die 6. Februar. contra P. F. N. ad Sacrum Presbyteratus Ordinem promotum (si fuerit Sacerdos; et si fuerit Clericus exprimatursuus Ordo; et si Conversus id notetur) « Nostræ Provinciæ N. Ordinis S. N. expresse professum in Sæculo nominatum N. N. de consilio et assensu eorum, ad quos spectat, ad præscriptum decretorum de Apostatis, et ejectis de anno 1624. 12. Septembris, et de anno 1664. 24. Jul. constructo, maximo animi nostri mœrore, ac necessitate fere compulsi, omnibus de jure requisitis tentatis, et juris ordine servato peractis, prædictum N. N. a nostra Religione expulimus, ac habitu Religioso nudatum dimisimus, expulsamque, et dimissam his litteris declaramus. In quorum fidem præsentibus litteris jussu nostro conscriptas, sigilloque Provinciæ munitas præfato N. N. pro suæ conscientiæ securitate tradidimus et concessimus. »

Datum in Conventu nostro N. Die... Mense... Anno...

F. N. Provincialis. »

(40. Ejectus debet se præsentari illi Ordinario, in cujus Diocesi est Conventus a quo ejicitur, et tenetur incedere in habitu Clericali citat. § 4, decret. edit. sub Urbano VIII. ibi: « Sic vero ejecti, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu Clericali incedant, atque Ordinarii loci jurisdictioni, et obedientiæ subsint. » (41. Nequit tamen ejectus nec in suscepto Ordine ministrare, nec ad alios ascendere, cit. decr. edit. sub Urbano VIII. § 6, ibi: « Item ut ejecti extra Religionem degentes sint perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi. » (42. Et si exercent Ordines quos habet, fit Irregularis, quia violat suspensionem, qua ex cit. decret. est perpetuo ligatus; Donat. *Prax. Regul.* tom. 1, tract. 8, quæst. 38, Pasqual. *ad Laurent. de Franch.* n. 1003, Ameno loc. cit. part. 3, q. 5, num. 26. (43. Ejectus nedum nequit exercere ministerium Ordinum, sed neque officium concionandi et docendi, ut habetur in *Mari Magno Ordinis Prædicatorum* § 24, in *Mari Magno Minorum* § 24, in *Mari Magno Carmelitarum* § 93, et 94, in *Mari Magno*

gregationis relatorum in Constitut. 28, an. mem. Urbani VIII, et in novissima constitutione Sanctissimi Domini Nostri edita 1. Martii 1693, actisque transportatis, ac Religione audita et informante dignabuntur EE. VV. declarare.

« I. An constet de asserta incorrigibilitate oratoris, et quatenus negative.

Minimorum § 36, et 43, in *Mari Magno Scriverar.* § 49, ubi datur facultas Superioribus Religionum hujusmodi ejectos excommunicandi, si intra limites suarum Provinciarum, vel districtum, ausi fuerint concionari, Confessiones audire, et docere, quæ concessionnes adhuc vigent, ut tradit Passerinus *de homin. Stat.* quæst. 189, art. 8, num. 640. Ameno l. c. n. 35. (44. Accedit ratio, quia expulsus laborat infamia juris et facti, ut solide probat Ameno l. c. n. 51. Infamis autem est incapax officiorum spiritualium, nequit esse Judex Ordinarius, Delegatus, Procurator accusans, aut Testis, aut Tabellio nisi rogatus a partibus, c. *Infamis persona* 1, et cap. *Infames* 2, caus. 3, q. 7, cap. *Sciscitatus* 3, de *Rescriptis*: Unde a fortiori nequibit assumi ad Apostolicum Evangelizandi ministerium; Rodriq. tom. 1, q. 30, n. 21. Mirand. tom. 1, qu. 50, art. 5, Peyrin. *de Religios.* subd. q. 1, c. 25, § 1, Ameno l. c. n. 35.

(45. Juste, et legitime ejectus non potest prætere alimta a Religione. Cum enim sua culpa sit expulsus, sibi imputet, si sibi ipsi relinquatur, et providentia paterna privatur, quia hæc est pœna suæ culpæ proportionata; Donat. l. c. q. 31, Pasqualig. l. c. n. 991, Passer. l. c. n. 657, et alii. (46. Sic nec Religiosi Societatis Jesu, qui post vota simplicia, ante solemnem Professionem, a dicta Societate ab ejusdem Præposito Generali juxta facultatem sibi a Sede Apostolica concessam, dimittuntur, ulla ab eadem Societate prætere alimta, aut congruam sustentationem, licet dum in ea viverent, titulo Religiosæ paupertatis ad Sacros, etiam Presbyteratus, Ordines promoti fuerint, ut novissime statuit ac declaravit Benedictus XIII hac sua Constitutione, quæ hic ad litteram datur.

BENEDICTUS XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Injuncti Nobis Divinitus Pastoralis Officii ratio postulat, ut in his Apostolicæ nostræ sollicitudinis partes libenter interponamus, per quæ Religiosorum Virorum in Vineâ Domini excolenda strenue laborantium, propriæque, et alienæ animarum salutis jugiter incumbentium quieti, atque tranquillitati opportune consulitur. Cum itaque, sicuti accepimus, Societatem Jesu multoties ante hac molestari, ac in judicium trahi contigerit ab eis, qui post exactum probationis biennium, ac vota simplicia in eadem Societate emissa, ante tamen solemnem professionem per illius Præpositum Generalem justis, ac rationabilibus de causis juxta facultates sibi a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris attributas, ex ipsa Societate dimitte-

« II. An idem orator veniat Religioni restituendus in casu.

« Die 15 Novembris 1698. Sac. Congregatio Concilii rescripsit orator se constituat in carceribus formalibus Religionis, et postea providebitur. »

(EDIT. BARBIELL.)

bantur, alimenta scilicet, seu congruam sustentationem sibi a dicta Societate deberi, et consequi prætendentes, propterea quod, dum in illa degebant, ad Sacros Ordines absque Beneficio Ecclesiastico, et Patrimonio, sed Religiosæ paupertatis titulo promoti fuissent; licet autem satis perspectum, exploratumque sit, æqui bonique rationi nusquam consentaneum esse, quod Societas præfata, quæ in illis emendandis jure suo utitur, alimenta, seu sustentationem hujusmodi suppeditandi oneri obnoxia remaneat, minusque, quod ipsi ex sua culpa, quæ dimissioni causam præbet, utilitatem et commodum reportent, atque ita pluries a Congregatione pro tempore existentium S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum re accurate discussa decretum ac resolutum fuerit: Nihilominus facile evenire possit similes quæstiones in posterum quoque, non sine prædictæ Societatis perturbatione ac dispendio, moveri, seu instaurari, nisi ejus aditus præcludatur; hinc est quod Nos eandem Societatem Jesu, quam ob singularia sua in hanc Sanctam Sedem merita peculiari Apostolicæ dilectionis prosequimur affectu a quacumque lite, et molestia, quæ exinde deinceps oriri posset, eximere, ac omnem desuper controversiæ occasionem submovere cupientes, ipsamque Societatem specialis favore gratiæ prosequi volentes, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione statuimus ac declaramus, memoratam Societatem Jesu non teneri, nec obligatam esse ad ullam subministrationem sive congruam sustentationis, sive alimtorum, sive alio quocumque titulo, et causa illis faciendam, qui post biennium probationis, et emissionis Votorum simplicium extra dictam Societatem a suis Superioribus ejiciuntur, tametsi dum in ea permanebant ad Sacros etiam Presbyteratus Ordines sine Beneficio Ecclesiastico, ac Patrimonio, et ad titulum Religiosæ paupertatis promoti fuerint. Sicque et non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios et Delegatos, etc.

Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, etc.

Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, etc.

Volumus autem, ut præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etc.

Dat. Rom. apud S. Petrum sub Anno Piscat. die 14 Jun. 1728. Pontificatus nostri Anno quinto.

F. Card. OLIVERIUS.

(1) Etenim injuste ejectus habetur ac si ejectus non fuisset, ideoque remanet in quasi possessione percipiendi a Monasterio alimenta et expensas, quas ob injustam expulsionem tulit, repetendi Barbosa in cap. *Ne Religiosi* 24, de *Regularibus*. (EDIT. BARBIELL.)

(2) Regularibus suo Ordine ejectis licita haud esse videtur negotiatio, contra ac sentit Auctor hoc eodem in loco. Etenim adeo certum est, Ecclesiasticis viris interdictam esse a Sacris Canonibus negotiationem,

(47. Regularis injuste ejectus potest compellere Monasterium ad alimenta futura, et etiam præterita, si illa mutuo accepit. Sic communis Doctor. cum Passerino *de homin. Stat.* tom. 3, quæst. 189, art. 8, num. 649. Vide verb. *Alimenta* num. 41. (48. Sic etiam lite pendente pro validitate expulsionis Ejectus debet ali ex bonis Monasterii, donec sit lata sententia de justitia, aut injustitia illius; Imola in *Clementin.* 1, de *Statu Monachor.* num. 37. Cardinal. qu. 4, num. 7, § *Quia vero*, *Surdus*, de *Aliment.* tit. 1, qu. 126, num. 10. Velascus conf. 7, num. 3, fol. 1. Menoch. *de præsumpt.* lib. 1, quæst. 35, num. 21. Bartol. tract. *de Aliment.* numer. 43. Sanchez. lib. 6, in *Decalog.* capit. 9, numer. 8. Passerini *de homin. Stat.* tom. 3, quæst. 189, art. 8, num. 649, qui addit Monasterium non solum obligari pro eo tempore ad alimenta, sed etiam ad illi subministrandas expensas pro lite, allegatque Velascum loc. cit. et Palaum tract. 16, disput. 4, part. 10, n. 11, quibus consensit Sanchez. loc. cit. et Ameno locis citatis num. 21 (1).

(49. Ejecti stantes in sæculo tenentur ad vota essentialia Religionis. Est communis cum Molina tom. 1, de *Justitia*, dec. 140, et tom. 2, disput. 276, Sanchez. lib. 6. Moral. cap. 9, num. 27. Lezana tom. 1, cap. 23, et colligitur ex cap. *Ne Religiosi* 24, de *Regul.* innovato in cit. decret. sub Urbano VIII. § 7, ubi statuitur hos ejectos (licet juste et perpetuo) censuris Ecclesiasticis cogendos esse redire ad Religionem, ergo signum est eos adhuc obligari vinculo suæ Professionis, alias ad reditum astringi non possent, cum nemo possit cogi ad amplectendum Religionis institutum, a quo liber est. (50. Est tamen advertendum, quod licet in ejectis perseveret rigorosa, et omnimoda obligatio castitatis, taliter quod si contrahant Matrimonium, sit ipso facto nullum, et incidant in excommunicationem, ex *Clementin.* unica *De consanguinitat. et affinit.* tamen obligatio paupertatis, et obedientiæ suspenditur quoad executionem, et observantiam multorum juxta capacitatem sui status; cum enim sint privati providentia Religionis, acquirunt administrationem rerum temporalium, possunt negotiari, civiliter se obligare, de acquisitis disponere ad finem procurandi sibi alimenta, quæ remanendo in Claustis per votum paupertatis erant sibi interdicta. Item non obtenta facultate Superioris possunt pro suo libito mutare domicilium, et libere agere, quæ ad suum statum occurrunt, quæ in Claustis nequibant facere ratione voti obedientiæ, nisi ad placitum Superioris (2).

(51. Similiter obligatio aliorum votorum supra tria essentialia in aliquibus Religioni-

ut nulla id probatione egere videatur; atqui vero nullus inficiari potest, ejectos remanere Ecclesiasticos, atque adeo ad ea omnia servanda teneri, quibus Ecclesiastici subjiciuntur. Accedit, quod ejecti ex aliquo Religiosorum Ordine in habitu clericali incedere tenentur, ut habetur § 4. Decreti Sacre Congregationis Concilii sub Urbano VIII anno 1624. *Sic vero ejectis, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant*: atque ipsemet Auctor hu-